



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei**

**Hurtado de Mendoza, Pedro**

**Antverpiae, 1634**

Sectio IV. Vtrum Christus satisfecerit ad æqualitatem?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

S. Thom.  
q. 1. art. 2.

peccator, meretur primam gloriam: ergo, si maior gratia est principium meriti maioris, erit in eodem instanti nouum meritum. Probo consequentiam, quia gratia subsequens dignificat opus ad nouum primum: ergo secunda gratia subsequens eodem instanti reali, dignificabit ad nouum: item tertia gratia ad aliud, & sic de reliquis. Quia sicut gratia subsequens dignificat contritionem ad merendam primam gloriam, eandem dignificabit ad merendam augmentum gratiae. Secundò, probo progressum eundem. Pone, Petrum & Paulum eodem instanti orare inuicem: Petrus eo instanti impetrat Paulo gratiam, quae coniuncta orationi Pauli eam reddit digniorem ad primum. rursus illa gratia Pauli cum oratione impetrat Petro nouam gratiam, quae coniuncta cum oratione Petri, est principium primum maioris: itaque Petrus ab oratione Pauli habet orationem dignam maiori premio; Paulus item ab oratione Petri habet orationem validiorem: & per singula augmenta gratiae impetratur alia noua sine fine.

§. 63. Nego antecedens. Prima probatio attingit difficultatem de primae gloriae merito: multi illud affirmant, negant multi. ego componam utroque. In illo primo instanti, quo peccator iustificatur, non meretur primam gloriam, quia ad meritum illi condignum opus est gratia sanctificans: eo autem instanti reali est quidem gratia sanctificans, sed pro illo instanti impos dignificare actum: quia actus non est dignus premio per gratiam subsequentem, & quasi natura posteriorem contritione: quia pro illo priori consideratur actus cum omnibus circumstantiis ad meritum condignum, & ut prauidetur illo priori, mouet Deum ad primum. Quando uero accedit gratia posterior, non uidet Deus nouam libertatem in actu, ob quod moueri non potest ad nouum primum: hoc enim pendet à nouo merito: nouum autem meritum non est sine libertate noua. At contritio in via durat plus quam vnum instans in homine, qui propter tarditatem intellectus non potest exercere actum pro vno solo instanti reali: durans igitur contritio meretur primam gloriam: quia in duratione exercetur libertas noua moraliter. De quibus abunde differui disputationibus de merito.

§. 64. Ad secundam probationem ex §. 62. admissa gratia sanctificante data à Deo immediate propter orationem Petri (quod suas patitur difficultates) Respondeo, Petrum propter orationem Pauli habere plus gratiae, quam haberet propter solam suam orationem: idem dico de Paulo; at illa maior gratia neutrum iuuat ad maius primum: quia illa maior gratia est posterior orationibus: siquidem collata fuit, ut illarum primum iam prauiisurum. Igitur pro illo priori instanti maior gratia non dignificat orationes, sicut contritio non dignificatur sanctificante gratia pro illo primo instanti ad merendam primam gloriam. Illam maiorem gratiam esse posteriorem orationibus Petri & Pauli inde constat, quod maior gratia Petri est effectus orationis Pauli, item maior gratia Pauli est effectus orationis Petri. unde illae duae orationes sunt in eodem signo rationis, quia accipiuntur à Deo ad causandam maiorem gratiam: unde maior gratia nullam illarum orationum comitatur; sed est posterior causalitate morali, & in prauiisione Dei, ut prima gratia est posterior contritione. Quod si

velis gratiam collatam Petro non sequi, sed comitari, eius orationem; dicendum est ab ipso Petro nihil gratiae impetrari Paulo per illam: quia licet comitetur orationem Petri, at sequitur orationem Pauli: ob quod non potuit utraque oratio esse comitans. Demus tamen utramque orationem, & gratiam maiorem esse comitantem, dicendum dari utrique maiorem gratiam propter orationem alterius: at non geminari eam gratiam, quia utraque est posterior causalitate quam actus: ob quod non potest actus ille pro illo instanti nouam impetrare gratiam.

§. 65. Tertia difficultas est, quia si ex maiori gratia merita crescunt, ergo continget ut vno actu remisso uereamur maius primum, quam aliquo intensissimo: quia homo gratus ut duo exercens charitatem ut octo, merebitur augmentum ad gratiam ut nouem; alius autem iustus exercens charitatem ut duo, augebit gratiam ad gradum vnum supra centesimum: hic autem gradus maius primum est, quam alij octo. Respondeo, hoc argumento nihil concludi contra constituentes intentionem per gradus similes: quia iustus ut quatuor operans ut octo accipiet octo gradus aut nouem: iustus autem ut centum operans ut duo, accipiet primum ut quatuor aut quinque: quia mea nihil interest utrum praemia crescunt arithmetice ex maiori gratia, an uero geometricè, ut dixi §. 55. quod si excessus gratiae sit maximus, non erit absurdum si plus moueat Deum cum actu remisso, quam gratia valde remissa cum actu intenso. Est igitur difficultas in opinione constitutente intentionem per gradus dissimiles & diuersarum specierum. ut ego eam constitui vol. 1. disp. 5. sect. 6.

§. 66. In qua opinione aliqui respondebunt, nullum esse absurdum, maius primum conferri aliquando pro actu remisso in homine magis iusto, quam pro actu intenso. Secundò, respondebunt alij, merito remisso cum gratia valde intensa deberi aliquod augmentum: quia uero gratia est in gradu intensiori, quam actus condignè meretur; Deus donat gradum intensiorem prauians, ut aiunt, ultra condignum, quia contingere debet alterum è duobus, aut Deum negaturum praemia condigna, vel praestitutum ultra condigna: è quibus hoc vltimum magis decet Deum. Recognosce alia quae dixi ea disp. 5. de generatione à §. 84. ad 91. & expecta fusiore disputationes de merito: non enim possumus hic omnia disputare. Quid autem sit haec infinitas operum Christi, dicam disp. 63. lect. 4.

#### SECTIO IV.

##### *Vtrum Christus satisfecerit ad equalitatem?*

§. 67. I. Ioan. Medina censuit opera Christi non fuisse aequalia grauitati peccati in morali dignitate & aestimatione. cui sententiae ad stipulari Scotum censerebatur aliquis, quia censuit satisfactionem Christi esse non tam ex eius operibus quam ex extrinseca Dei acceptatione. Scotum autem iam explicui §. 5. P. Valentia to. 4. disp. 1. q. 1. puncto 5. v. *Secundum vitium*, Medinam mordet: quia opera Christi sunt ex se multò digniora aestimatu & a-

matu,

matu, quā peccata odio. Quod egregiè dixit S. Augustinus tom. 4. libr. de Catechiz. rudib. c. 4. sine, his verbis: *Magna enim miseria est superbus homo, sed maior misericordia humilis Deus.* S. Bernardus serm. 1. de Annuntiatione ait: *Traditus est propter peccata nostra; nec dubium quin potentior & efficacior sit mors illius in bonum, quā peccata nostra in malum.*

§. 68. Peccatum in ratione offensæ est simpliciter infinitum: ergo opera Christi non sunt digniora quā illud graue. Probo consequentiam, tum quia vnum infinitum non est maius alio: tum quia hęc omnia sunt æqualia. Opera enim Christi non habent maiorem bonitatem moralem, quā peccata malitiam: grauitas autem in ratione satisfactionis non est maior, quā ratio iniuriæ: quia, vt satisfactio crescit ex Deo homine satisfaciēte, ita iniuria ex Deo offenso.

§. 69. Nego consequentiam. Ad probationem primam, respondeo ex disp. 9. §. 61. vnum infinitum esse maius alio in diuerso genere, sicut infinita charitas est melior & amatu dignior quā spes infinita: quia sunt in diuersis speciebus, quæ sunt dissimiles, & in rebus creatis inæquales. Ad secundam probationem, respondeo inæqualitatem moralem non sumi ex Deo, aut Verbo materialiter acceptis, sed ex illis cum modo quo concurrunt ad satisfactionem & offensam: Deus enim non læditur physicè, neque accipit ab offensa denominationem vllam realem intrinsecam, sed intentionalem & extrinsecam; Verbum autem physicè denominatur satisfaciens: omnes enim denominationes, quas natura physicè habet *vt quo*, conueniunt intrinsecè Verbo *vt quod*; non quidem per vnionem immediatam Verbi cum illis, sed per mediatam: Verbum enim immediatè non vnitur nisi naturæ ratione cuius vnionis Deus absolute patitur, moritur & obedit, in natura sibi intrinsecè vnita. Cum quæ hæc sint in ordine ad prudentem æstimationem, isti modi causandi diuersa ratione debent æstimari.

§. 70. Confirmatur. Ex operibus Christi plus gloriæ accrescit Deo, quā dedecoris ex nostris peccatis: ergo pluris æstimantur opera Christi. Probo antecedens, quia ex eo quod Deus offendatur, non sequitur per bonam consequentiam, Deum aut esse vilem, aut dignum contumelia; sed sequitur, nos esse viles & infames. At verò ex satisfactione Christi sequitur per bonam consequentiam, Deum esse infinito dignum honore: quia est dignus vt pro iniuria illata illi inferatur infinita satisfactio. Item, quia peccata, licet graua, oriuntur ex insta nobis imperfectione, & mala concipiendi ratione: quo ex capite admirationem depellunt. At verò satisfactio Christi tam fuit portendens, vt eam ij scandalum, illi autem stultitiam sint arbitrati. Quis autem neget plus honoris Deo accrescere ex raro, inaudito & portendenti obsequio, quā dedecoris ex tam communi ac pænè (vt ita dicam) connaturali defectu? Adde, à natura esse comparatum, filiorum preces esse efficaciores ad leniendam voluntatem patris offensi, quā offendentis peccata ad laceffendam: & grauia peccata dimittuntur ob leues filiorum preces.

§. 71. Ratio à priori: quia æqualitas satisfactionis expenditur ex cōplacencia Dei in illa: sed complacencia Dei in satisfactione Christi excedit infinitè displicentiam in peccato: ergo. Probo Minorem: quia complacencia satisfactionis non solum est circa ipsum actum, sed etiam circa dignitatem personæ: in qua dignitate Deus sibi complacet, vt cumulatè ostendi disputans de merito: sed complacencia in Christo vt operante excedit infinitè displicentiam in peccato: quia obiectum partiale illius complacencie est bonitas increata, vt sanctificat humanitatē per hypostaticam vnionem: quæ bonitas excedit infinitè malitiam peccati: ergo complacencia in satisfactione Christi excedit infinitè displicentiam in peccato. Quam rationem insinuaui B. Anselmus lib. 2. *cur Deus homo*, cap. 14. Cum enim probasset quodlibet peccatum esse infinitum, quia fuit contra Deum; postea ait peccatum commissum in personam Christi esse peius quā cætera, quia persona Christi est magis amabilis. *Cogita*, inquit, *quia etiam peccata tantum sunt odibilia, quantum sunt mala: & vita ista tantum amabilis, quantum est bona. hinc sequitur, quia vita hæc plus est amabilis, quā sint peccata odibilia.* Video ab Anselmo insinuari cap. 15. Christicidium fore insuperabile si scienter fieret: quod aliqua eget explanatione, ne fauceat sententiæ Mediæ.

§. 72. Obijcies pro sententiæ Mediæ: Merita Christi non merentur plus boni, quā peccata mali: ergo non sunt digniora. Distinguo consequens: non sunt digniora maiori æstimatione & amore, nego consequentiam: non sunt digniora maiori pœna quā merita Christi præmio, concedo consequentiam. Hoc autem non oritur ex æqualitate peccati & satisfactionis, sed quia vtrumque dicit ordinem ad omnia præmia possibilis, vel ad omnes pœnas possibles. Sic disp. 9. §. 65. dixi duo peccata inæqualia grauitate esse æqualia dignitate ad pœnam, quia singula mortalia, de quibus ibidem egi, sunt digna omni pœna possibili. Idem dicam inferiùs de singulis Christi meritis: nec propterea sunt tam bona, nec tam meritoria, quā essent actus increati, si per impossibile essent meritorij: tum quia essent dignificati meliùs diuinitate, nempe per identitatem, non verò per extrinsecam denominationem: tum quia nullum meritum Christi potest mereri omnia bona creata collectiue, quia nec se, nec sua principia mereri potest: at actus increatus ea omnia posset mereri. Meretur autem Christus omne quod cadit sub meritum ipsius: at nec actus ipse cadit, nec principia: caderent autem hæc sub meritum increatum.

§. 73. Obijcies Secundò, ex Durando: Christus non potest satisfacere pro nobis: ergo nec ad æqualitatem satisfacere. Probo antecedens: quia Christus non potest Deo gratias agere condignas beneficijs ab eodem acceptis. Nego antecedens. Ad probationem respondeo, agendo gratias condignas, aut minores, exercet actum dignè impetrandem remissionem peccati: vt nos agendo gratias possumus augmentū gratiæ & gloriæ impetrare condignè. Vtrum autem Christus potuerit agere condignas gratias, quærendum inferiùs.